



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Paraphrasis Psalmorvm Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. CXXV. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, &c. Carm. gen. 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](#)

Sempiterna laus Deo sit, qui suos non tradidit  
Dentibus prædam cruentis perfidarum gentium.  
Cassibus fractis dolosis solspites euasimus:  
Capta ueluti iam uolucris rete fugit aucupis.  
In Deo nostræ salutis spes reposta est unico,  
Qui solum cælumq; fecit ui potentis dexteræ.

PSAL. CXXV. Qui confidunt in Do-  
mino, sicut mons Sion, &c. Carm. gen. 6

S<sup>I</sup>onis arcem non aquilo impotens  
Saxo sedentem perpetuò quatit,  
Nigrantibus non austera lis  
Imbriferas glomerans procellas.  
Quicunq; uerè spem locat in Deo,  
Non hostis hunc uis, non quatiet dolus,  
Si fractus illabatur orbis,  
Incolumnis fugiet ruinam.  
Ut ciuitatem mœnia montium  
Sanctam tuentur, sic Dominus suos  
Vi cingit arcana, nec unquam  
Præsidij uiduos relinquit.  
Nec impiorum perpetuò iugo  
Sinet piorum progeniem premi,  
Ne turpibus contaminetur  
Flagitijs labefacta mentem.  
Ut affluenter fac bona sint bonis,  
Ut continenter fac male sit malis,  
De calle quos recti illecebris  
Impietas male sana flexit.  
Fac sancte rerum conditor, ut domum  
Beata

Beata semper pax colat Isaci.  
 Tranquillitas secura pulchre  
 Exhilaret Solymæ colonos.

PSAL. CXVI. In conuertendo Domini  
 nus captiuitatem Sion, &c. Carm. gen. 2.

**Q**uum pater omnipotēs captā remeare Sio-  
 nū Dulcemq; iussit patriā reuisere, (nem,  
 Attoniti stupuēre animi, nec opināq; secum  
 Metum librantes inter & spem gaudia.  
 Vixq; sibi credunt: ueluti qui noctis opacæ,  
 Sopore pullo, manè uersat lomnia,  
 Pro lacrymis redeuntris: sua gaudia quisq;  
 Sermone celebrat, patrium laudans Deum.  
 Nec minus attonito stetit ad miracula uultu,  
 Sic barbarorum turba secum muslitans,  
 En pater ille Deūm quot signa ostēdit amoris  
 Huius saluti gentis usq; ut prospicit!  
 Nec falso, nam signa Deus monstrauit amoris  
 Præclara, nostræ dum saluti prospicit.  
 Ergo alacres lato testamur gaudia plausu.  
 At tu benigne fac parens ut cæteri  
 Iam redeant, plenisq; uis sic agmen inundet,  
 Ut æstuosi quum flat Austri spiritus,  
 Indignata suis cohiberi flumina ripis,  
 Vaga per agros murmurant licentia.  
 Qui malè fœcundæ commisit semina terræ,  
 Et corde tristis multa uoluit anxio,  
 Si uenit uberior seges imbrisbus aucta benignis,  
 Exultat hilari cor metentis gaudio.

**Q** iiiij